

1689.

1. Ammann, Paulus, Rec. med. prosectoris: ad actionem
saltem tam casuarii primariae invitata
2. Barthius, Gottlieb: De eo, quod justum est circa
processum executiveum
3. Barthius, Gottlieb: De testamento locisti oblatu.
4. Bohmius, Iohannes: De daunioratu, hypocondriacu,
- 5^{ma} et 6^{ta}. Bonnius, Jacobus: De eo, quod justum est circa
malorum dñi, maxime in provinciis Saxonie
? Saecpl. 1689 - 1714.
6. Cyprianus, Iohannes: De arte naturae animali
7. Ibyx, Ioh. Valpelt: De perfidia.
8. Forni, Gottward: Utrum res aquis submersae
dorchictis sint conservandæ?
9. Hilscher, Paulus Christianus: Errors pectorum circa
nativitatem Christi
10. Hylgias, Gorpon Nicolaus: De mancipiorum Taracorum
manus moine baptismus implicatio

1889.

11. Margaret, Infans Christophorus : De cura Romanae
area incendiæ.
12. Mylius, Andrius : De remissione penale.
13. Philippus, Fridericus : De reconnectione et fisi
14. Reichenburg, Adam : De religione armis iusta.
15. Reichenburg, Adam : De strenuitate. Statuum Germanie
favo're in liberas et scholas.
16. Ridel, Carol. Andrius : De defensione bonorum clausarum
aggressorum.
17. Schreiterus, Christophorus : De damnacione memoriae
18. Smeulen Saerfferus, Bartolomeus Leonhardus : De
risu juridico
19. Spinden doerfferus, Barthol. Leonhardus : De iure
publico Romano. Germanicos motus in ione sua.
20. Thom'ius, Ioh. : De pacti metu extorti obligacione

1689,

H. Snuff, Carolus Samuel : *De conuersibus funebribus
veteribus*

ACADEMIA LIPSIENSIS
DPA ELS AMMANN
LITERIS

19.

~~Indonesie et pays d'Asie du Sud-Est~~
~~Thaïlande~~
area recall
negative feedback mechanism
Philippines
Reduction of
Archipelago
favour to young galaxies.
Asia, East Asia : To determine more clearly
agreements
between carbons & To know about minor
islands
Indonesia, Borneo, Sulu : de
3000 jardins
Indonésie, Borneo, Philippines : 30 jardins
plus Amer. Samoa, Marquesas, etc.
what are left ? To parts which took obligation

Q. D. B. V. *xx. f. 11. 6*
DISPUTATIO PHYSIOLOGICA
De
DUUMVIRATU
HYPPOCHON-
DRIORUM, *1689, 4/*
Qvam

Sub Præsidio
DN. JOHANNIS BOHNIL

Philosop. & Medic. D. ac Anatomiae &
Chirurg. Prof. Publ. longe Cele-
berrimi,

*Dn. Patroni, Praeceptoris ac Hospitis
sui colendi,*

publico Eruditorum examini exponit

JOACHIMUS GOTTLIEB LEHMANN /
Budiss. Lusat.

d. 8. Febr. M. DC. LXXXIX.

LIPSIÆ,
SIANNO BANCKMANNIANO.



V I R O
Nobilissimo atq; Experientissimo
DOMINO,
DN.D. ELIÆ LEHMANNO,
in *Kayna / Tzschieschiz & Baschiz*
Sereniss. Elect. Saxon. Archiatro
Gravissimo,
Parenti suo omni Honoris & Amoris
cultu devenerando
Dissertationem hanc Academicam
in filialis observantia
tesseram
D. D.
Filius obsequiosissimus,
Joachimus Gottlieb Lehmann.



I. N. J.

I.



Vi sub Automati, diversis nempe rotulis, vectibus, elateribus, clavis, ligulis, funiculis, similibusque machinulis instructi, compage corpus animale sibi concipiunt, ejusmodi necessario inter organa hujus cuncta harmoniam admittunt, cujus vi nullum illorum solitarium ad munus, qvod toti debet, præstandum sufficit, sed communis inter hæc datur conspiratio & mutuum quasi consortium seu relatio, per quam sine ventriculo nec cor pulsare, nec cerebrum fluidum animale dispensare, valet, quemadmodum nec stomacho concessum alimenta appetere, digerere, expellere, nisi à cordis æque ac ἡγεθάς potentiss superioribus actuetur. Uno verbo mutuæ omnium viscerum atque membrorum sunt operæ, ut dubia relinqvatur mens sana in principatu partium determinando seu juribus harum communibus atque dependentiis reciprocis dirimendis, de membrorum corporis, pro primatus dignitate altercantium, certaine ab Æsopo Bryge in fabula admonita, & Hippocratis æque ac Galeni syasu arbitri munus in contentione hac ambigua detrectat: quorum ille de loc. in

A 2

hom.



bom. text. i. ait, *Mibi quidem videtur corporis principium nullum esse, sed omnia similiter principium & omnia finis*, ideo sc. qvod text. 3. *minima corporis pars omnia habeat, quae cuncte & maxima*; Hic vero pro famulatu & subsilio partium multo confirmando 3. de usus part. cap. ii. in haec prorumpit verba: *Pes vero neque oculo neque cerebro determinatus est, omnes enim ejus particula optimè se habent ad actionem, cuius gratia facta sunt: neque cerebrum sine pede se probe habebet, neque pes sine cerebro, eget enim, opinor, illud quidem vehiculum quodam, hic autem sensu. Vehiculum E. cerebri est pes at totum corpus reliquum, sensum autem ipsis cerebrum praebet.*

II.

Per conseqvens de plurium membrorum, imprimis interaneorum, actione aut usu nemo, nisi meditationum figura, sibi promittere poterit, qui consensum & conspirationem eorum non perspectam habuerit: sive haec fuerit generalior ac remotior sive propinquior & specialis magis, ideoque inter binâ organa styllo Helmontiano, & quidem non inepte forsan, *Duumviratus* dicenda.

III.

Sicut autem illam ex circumstantiis diversis, ita hanc ex contentorum potius, particulari magis analogia, horumque immediata transfusione seu communicatione, auguramus, ventriculi nempe commune cum intestinis officium ex semidigestorum ad horum canalem detrusione, Renum & vesicæ ex urinæ per ureteres ab illis ad hanc confluxu, folliculi fellis & pancreatis ex utriusque ductus excretorii communi ad intestinum insertione, Pulmonum & Cordis ex vasorum tantorum communione, & ex trajectu sanguinis ex uno hujus ventriculorum ad alterum, non immediato, sed per illos

los circulato &c. Hinc hæsitare ac in erroneas sententias illos abire observamus, qvi Lienis actionem indagaturi, commercium, qvod cum Epate ipsi intercedit, neglexerant, viscus hoc modo cum Hippocrate & Aristotle aquositatem ab alimentis, instar spongiæ, attrahere, modo cum Ulmo, C. Pisone, Höchstetero & Helmontio cordi sanguinem arteriosum præparare, modo cum Arabibus plerisque & Æ. Parisano sanguinem aquosum, pro cordis refrigerio & humectatione, conficere, modo cum Alex. Aphrodiso, Aretaeo, Baubino, Varolio, Jessenio, Sennerto & Hofmanno sanguinem crassiorem sibi ventriculo, colo, mesenterio &c. parare, unde organum hoc ἡπας ρόθον ὥστε αὐτίσγον audit; modo cum Galeno, Oribasio, Avicenna, Fernello, Highmoro &c. succum limosum & feculentū, nomine humoris melancholici, à sanguine secernere; modo, juxta Quercetanum, Riolanum, Helmontium & modernos alios, acidum fermentativum ventriculo gignere, modo secundum eundem Helmontium cum ventriculo & utero imaginationis primos conceptus formare, somnum ac insomnia concitare, testibus semen coquere & Venerem inspirare; modo cum Sylvio intra illius cavernosam substantiam sanguinem arteriosum à superveniente fluido nerveo exaltari & plus quam perfici afferentes; modo cum Erastriato, Democrito & R. Epebio idem inutile plane ac otiosum microcosmi pondus membrumque ignavum proclamantes, sibiique & scholis persuadentes.

IV.

Hitamen πληνολόγοι cuncti, eo ipso, dum elucubrationibus suis Anatomica Exercitamenta haud rite combinabant, tantum abest, ut splenis officium verum indaginis suæ conatibus evolverint, qvin potius minus

A 3

lienosis



lienosis quoque risum, aliisque stomachi subversionem, dogmatis suis concitarint. Seu, ut planius loquar, viscus, quod risum movere, Antiquitas ridicule satis ajebat, in mores potius sui tot seculorum scrutatores anxios conjiciebat, ut inter tot evanidas de illo theorias calamitatem publicam deflerint horum non pauci, alii de ejusdem natura penitus assequenda desperant.

V.

Quippe ut ab iis, quos postremos collocaveram, exordiar, quid temerarium quidve in Naturam prudentem ac æquissimam injurium magis singipoterat, quam dum posthabita organica & admirabili plane Lienis stratura, molem rudem, indigestam ac inutilem seu viscus nullo fungens ministerio hunc asserebant? Infinitis inductionibus persuasi, naturam nec in minimis & vilioribus, multò minus in organo hoc, cuius textura mirabilis, otiosam s. frustaneam fuisse. Vix enim causam his Creatoris & Creaturæ Cavillatoribus dicere poterit lienis prompta extirpatio actiones vitales ad sensum haud turbans, quatenus ad viralitatem forsan non immediate confert, seu ad Vitam absolute necessarius observatur, aut ejus defectum aliquatenus supplet Natura adminiculis, nobis haud conspicuis, quamvis probabilibus: perinde ac nec Pancreatis extractio semper evidenter in œconomia animali turbas movet, quod nihilominus organum nemo ~~ad~~ cœgnoscere aestimabit.

VI.

Qui scaturiginem aquarum Lienem pronunciant, quas instar spongiæ attraheret, postmodumque ad vesicam urinariam & alvum deponeret, ideo forsan, quod hic, juxta Aristotelis dogma, illistantum animalibus insit, que ex-

cremen-

crementa ventris & vesicae habeant, illa vero, qvibus vesica deficiat, v.g. Chamæleon, splene quoqve deſtituantur. Illis eqvidem propterea condonandum foret, qvod membra hujus extirpationem nunquam tentaverint, minus tamen perspicaces eosdem ideo vereor, qvod aqvæ du&tum, per qvem ſuperfluuitates has, *de novo trahit* Lien ad vesicam & alvum derivet, haud monſtrarint, vel monſtrare valuerint. Qyemadmodum enim ex operatione illa aliquoties adornata prompte conſtat, animalia ejusmodi ἀστληνα præ reliquis frequentius & copiosius mifeturire, nec alvum pigriorem circumgerere, hinc ſine ſplene quoqve plures longe ac antea aqvofitatem ad vesicam demittere: ita viis ad hanc & intestina traductoriis qvia caret idem, non video, qva ratione, qvod ab hoc abſorptum, illuc fecedere queat. Cum in propatulo imprimis fit aetiologia, cur Liene mutilatum animal frequentius mingat: derivata ſc. ad aortam descendantem ſangvinis portione, ſpleni haetenus destinata, hinc per emulgentes ramos Renes quoqve impetuofius & copiosius irruente.

VII.

Terrei ac fōrdidi magis ingenii videntur, qvi ad limositatum ſangvinis terreftrium & ipſo diabolo magis atrarum ſecretionem Nobile Viscus damnant: carbonē atro vel ideo notandi, qvod nullum circa idem reperiatuſ vas excretorium, qvod ſecretas in ibi aut depositas feculentias ſ. crassamenta recrementitia extra corporis ambitum eliminet ac expurget, dum qvicqvid ab illo, ſive per Venas ſive Vasa Lymphatica, recedit, ſangvinis alveo denuo infunditur. Neqve enim, ut vulgo haetenus creditum, à Venis Hæmorrhoidalibus hoc expectandum, qvatenus hæ non minus cum Mesenterico ramo & Portæ trunco



trunko, ac cum Splenico communicant, nec, qvamvis
hujus propagines existant, splenem hujusque venam
depleant, sed huic potius sanguinem ab intestino recto,
advehant. Siqvidem etsi male se habente, i. e. in of-
ficio suo torpescente, Liene hæmorrhoidalia illa vasa in-
tumescant, fluantqve, nihil tamen muneris excretorii or-
dinarii in hæc redundant; qvatenus eorum turgescentia &
fluxus symptomaticus sub lienis vitio ideo eveniunt,
qvod propter usum hujus deficiente sangvis ex eo per
Ranum Splenicum & Epar haud liberè sat transveh-
atur; critica vero humorum evacuatio, qvia extraordina-
ria, naturali concipiendæ aut confirmandæ vix erit adæ-
qvata. Præterea & qvo demum autopsia qvæstionem di-
rimat, si sanguinem per lienis cavernulas & venam flu-
etuantem, ligatâ prius hac, non in cadaveribus, sed ani-
malibus vivis, contempleris non crassuræ, non atrum,
non feculentum, sed fluidissimum, rubedinis mineæ si-
splendentis ac nitidissimum observabis, nisi cerebrum o-
culosque tuos spiritus melancholici, s. ut cum *Capivaccio*
Sennertus loqvigesfit, tenebricosi & opaci, astuent, aut po-
tius *Te* in delirium agant.

VIII.

Alteri extremo se applicant, qvi ex chyli determi-
nata portione Splenem Cordi sanguinem subtiliorem ac
spirituascentem, i. e. qvi ad fluidi arteriosi ac vitalis cha-
racterem excipiendum aptus, præparare ejusque ventri-
culis per arteriam splenicam & aortam infundere, autu-
mant: prolixiore correctione vix indigentes, qvod vasa
chylifera hujus organi minime innuant, Circulationi inte-
rim sanguinis figmento hoc insignem vim inferant. Cu-
us pariter notæ sunt, qvi eidem Cordi ab igne vitali æstu-
anti,

2. L.

anti, refrigerium aliquod refocillatorium inde promittunt, quasi aquosior intra Lienem productus sanguis illius fervorem temperet & humectando illud ab aridura vindicet: quippe & hi viis adductoriis & abductoriis destituti recti præcipites ac devios se sistunt. Qibus insuper associare convenit, quam præeunte *Baubino* aliisque *Hoffmannus* variis argumentis stabilire contendit, hypothesin, quasi ex chylo crassiore & terrestriore sibi, ventriculo, omento aliisque abdominalis, vilioris indolis, partibus sanguinem conficiat Lien: utpote nunquam comprobaturam, ventriculum v.g. & Colon, præ intermediis sibi intestinis, & omenti ac mesenterii membranas præ Peritoneo, peculiari frui alimonia, aut subtilissimis Lienaris compagis fibrillis & membranulis crassorem succum in nutrimentum cedere; ne repetam, quæ circa canales, Chylum visceri huic advehentes atque immutatum distribuentes, nunquam obvios, moneri poterant.

I X.

Pistorem ac fermentum intra illud qui concipiebant, haud uni massa fermentandæ hoc destinabant, i.e. modo chylificatorium, modo sanguinis perfectorium, illud proclamabant: utriusque servilis satis ingenii homines, in pistrinum potius, quam pistrinam, detrudendi. Quippe horum alii ventriculo à liene hoc subministrari sibi persuadebant, panificium in organa digestionis primæ supponentes & chylificationis negotium operibus pistoriis analogum fingentes: quas tamen ejusmodi fabulas stomachus nescit, nec pro iis ludendis opus habet hoc prologo s.promo condo, qui in animalibus, qibus Lien dextre extractus, commode appetit, digerit, imo longè voracior existit, prout præter *Celeberrimi Malpighii*

B

expe-



experientiam & conjecturas qvemlibet docebit propria
observatio. Præterea qvem Laticem fermentativum,
acidum & acrem, per totum Lienis corpus diffusum hoc-
que in substantiam raram ac spongiosam attollentem, a-
junt hujus Patroni, sensus & ratio non tantum haud admit-
tunt, sed dissident qvoqve, prout inferius prolixius o-
stendetur.

X.

Qvi Sangvinis conficiendi & exaltandi gratia eum ta-
le qvid dep̄sere putabant v. g. *Kyperus*, *Veltheusius* & *Hoge-
landus*, illum à corde transmissum per peculiarem fer-
mentationis modum intra hujus compagem spongiosam
immutari ac ad fusionis statum perduci, asserebant, qvo
tam Chylo, cruoris purpura tingendo, qvam toti Sangvi-
nis massæ, ultimam manum, Nutritioni ac Pnevmatosi
necessariam, imponat, seu sangvificationem juvet ac per-
ficiat: qvorum nihilominus effatum suos pariter patitur
manes, Fermentationem ac Fermentum splenicum poti-
tius supponens, qvam probans.

XI.

Dum imaginationis primas ex Liene cum Ventri-
culo & utero concitari favillas, somnum & insomnia hinc
inspirari, testibus semen destinari & stimulos veneros
incuti, *Helmontius* fingeit, sibi pariter ac experientia ubi-
vis terrarum obvia, contradicit: ex una eademqve sca-
turigine *Nepenthes* ac *Narcoticum* propinans, dum ab
eodem Liene spiritus torpidos ac somnolentos reddiac in
orgasmos veneros evehi, ait; Somnum qvoqve Info-
minia & alacritatem genitalem illis per indirectum dene-
gat animalibus, qvæ splene mutilata, nihilominus ad vi-
giliarum & soporis vicissitudines satis apta, & eorum qvæ-
dam adrabiem usqve lasciva, obſervantur.

XII. San-

XII.

Sangvinem intra Lienem à spiritibus animalibus confluentibus digestione quadam volatilisari & ad Tincturæ s. Fermenti Sangvifici activitatem exaltari, theoria sublimioris ingenii est, ast eo ipso, dum ad actiones vitales evidentiores disposita valde & salacissima deprehendimus animalia ἀσπληνία, cur ab hoc, sive vase, sive furno, digestorio solo & unico Tincturam illam universalem, chylum argenteum in sangvinem aurei coloris & nobilitatis tingenrem, expectabimus? cum imprimis sangvinis & fluidi nervei commiscelam in toto corporis ambitu abunde fieri, hinc circulando per partes mixturam hanc commodius digeri & exaltari, probabile sit.

XIII.

Non sangvini à fluido nerveo, sed huic billo, mediatore Liene, contingere accessorium, Succi nervorum Nutritii primus forsan Stator, *Glossinus*, augurabatur: quasi nimirum hic, spissior & facile concrescibilis vehiculum magis aquae recipiat, à fibris hujus membris nervis eporum & intra ipsos nervorum canales affundendum. Sed quia (?) Colatorium, fluorem aquae à sanguine secernens, in Liene vix comparet, nec (2) crux, per venam splenicam ab hoc refluxus, crassitudinem, quam scriptor ille adeo conspicuum ait, præ se fert, nec (3) constat, qua ratione per eundem nervorum trahitem cerebri adduci queat succulentia aqua, toti generi nervoso pro diluendo ejus alibili sicco, impertienda, per quem ad easdem partes fluidum idem derivari debebat: minus probabilitatis huic quoque dogmati subesse videtur.

XIV.

Neque tamen cunctis, qui Lienis atque Epatis duurn

B 2

vira-



viratum admiserunt, meditationes suæ, qvibus in hoc declarando delectabantur, æqve feliciter cesserunt, v.g. qvi cum *Erasistrato* illum pondus tantum, huic in sinistro hypochondrio æqvilibrans, opinantur: qvafsi natura in dextro epar formans, ne artis suæ architectonicæ obliviceretur, nec sinistrum inane dimittat, in hoc splenem jecori ex adverso, ornatus saltem gratia, seu ut corpus in æqvilibrio magis conservetur, posuerit. Vanus siqvidem fine usu observatur ornatus, nec hunc solitarium natura unqvam intendit in abditarum partium potissimum conformatio: nec (ne prolixius cum hoc Hominum genere conferam) molis Epatis ac Lienis ejusmodi est proportio, à qua librile æqvum sibi promittere queat latus utrumque, qvatenus hujus molem atqve pondus illius moli & ponderi multo inferius rudis satis oculus & manus evincit.

XV.

Pariter qvi Viscus hoc Epar nothum succenturia-
tumqve vocabant, & operas socias in munere sangvificatio-
rio utriqve concredebant, illius actionem minus adæ-
qvatè declarabant, sive crassioris tantum crux elabora-
tionem, (qvemadmodum Epati tenuioris) sive totum
sangvificationis negotium, huic (male affecto illo) con-
cedentes: ob rationes partim superius indigitatas, par-
tim alias contra viscerum sangvificandi potentiam pro-
latas. Refero huc *Conringium & Regium*, qvi chylum a-
qvosiorem Digestione Ventriculi nondum absoluta à Li-
ene attrahi & in sangvinem humidum ac frigidum muta-
ri docebant, Epati committendum ac in hoc perficien-
dum: ambos in viis ventriculo ac Lieni intermediis inve-
niendis luscios ac cæcutientes.

XVI. Ju-

XVI.

Jura & fundamentum hujus Duuum viratus Splenico-Epatici illi planius explicant, qvi, Lienem Epati in bilis Confectione, aut mavis secretione, manū porrigerere, cum *Malpighio* ac *Diemerbrockio* ajunt, qvorum vestigia premere nec me piget; recessurus nihilominus ab his qvoad conspirationis formalitatem, postqvam nempe ipsum hoc commercium asseruero.

XVII.

Epati gratia lienem formari, hujusqve Functionem organicam illius Actioni propriæ litare, adeoqve hunc fluido vitali non immediate, sed mediante demum hepte, hujusqve officio secretorio, perficiendo aut exaltando præsto esse, inde auguror, qvod lienis producta bina tantum obseruentur, sangvis sc. & Lympha. Qvorum hanc, qvia nec in modo secernendi, nec qvoad excipulum, à reliqvarum glandularum congregobatarum lympha discrepat (prodit enim à glandulis Lienis congregatis, hujus cavernulis intertextis per vasa lymphatica communia ad receptaculum lumbare) productum ejus haud proprium, i. e. qvod à conformatioñe ejus organica emergat, credere convenit: Sed sangvis, per ramum splenicum promanans, potius fluidum illud est, qvod originem suam Lienis constitutioni mechanicæ debet, Epati destinatum.

XVIII.

Qvippe non venæ simplicis & communis, qvæ cruentum suum in alveum communem seu venam cavam immediate deponat, Splenicus Canalis munus gerit, sed conformatioñe singularis præ cunctis Venæ Portæ ac Cavæ ramis observatur: dum ejus interior, qva visceris

B 3

hujus



hujus compagi cavernosæ continua, & per quam sanguinem hinc recipit, expansio s. diramatio non ex radicib⁹ capillaribus, sed Sinibus s. Alveolis Lienis latioribus, exurgit, si illas radiculas minores excipias, quibus Arteriarum propagines, in stamina fibrosa & corpora glandulosa exorrectas, comitantur; ita ut Alveare hoc Lienis perinde, ac compages, pulmonum tracheæ, expansio Sinus Venosi, s. ampullosum hujus appendix ac scaturigo, videatur. Hinc sanguinem, quem Epati adfert, non, prout in reliquis partibus fieri solet, ab arteriarum extremitatibus & his ac sibi intermediis tubulis carneis, sed ex Sinibus Lienis latioribus, qui eum ab arteriarum osculis exceperant, admittit: proin Lieni ac Epati intermedius canalis est, per quem hoc ab illo recipit fluidum, sine quo Epar non foret Epar, i. e. ejus actio aut omnimode aut maximam partem frustraretur.

XIX.

Confirmat theoriam hanc duplex phænomenon, alterum sc. in Sanguine lienari, alterum ex defectu Lienis observabile: quatenus ratione prioris sanguinis qui ex vivi subiecti Liene aut ejus Vena lacerata stillat, non, ut reliquarum venarum fluor, spissus ac nigricans, sed floridus & instar arteriosi fluidissimus, cernitur, imo talis per aliquid horas sine superveniente grume scencia, fecus ac venosus, permanet: ita ut mirari satis nequeam horum temeritatem, qui crassiorem & atrum sanguinem à Liene redire afferere non verentur.

XX.

Imo hac occasione non possum non annotare errorum illorum, qui Lienis colorem lividum in provectionis

D.L.

Etioris ætatis hominibus naturalem ajentes, hunc sanguini crassiori & nigredine sua melancholici humoris indolem exprimenti, rubedinem vero ejus, quam in Fœtu aut recens natis præ se fert, alimento seu sanguini ejus puriori, in acceptis referunt; qvod in eorum cadaveribus sub grumi atri specie sanguinem & Lienem lividum cernant: qualis tamen hic in animalibus vivis haud existit, unde nec in iis adeo obscuri coloris deprehenditur ipsum visceris hujus corpus; imo observarunt olim jamdum non semel *Vesalius* & *Spigelius*, hoc nec in cadaveribus jecori rubedini cessisse, adeoqve Lienem Hepatis parenchymate multo nigriorem non bene sani hominis pronunciarunt. Qvod posterius sicut universaliter vix præsumerem, sed disparem hanc Lienis rubedinem, à dispari potius cellularum ejus latitudine, & qvidem naturali aliquando, depromerem: ita, qvod Fœtibus Lien splendidioris rubedinis præ adultis freqventius aut semper contigerit, exiguitati pariter alveolorum, ex quibus illius compages coagmentatur, hinc in moleculas minores sanguinem dirimentium magisqve discontinuantium, hoc debent, qui in adultioribus latores, in natu minoribus angustiores, majori æqve ac minori illius moli coacervandæ sunt adæquati; discontinuando itaqve mineam, cumulando obscuriorem potius, rubedinem inducentes.

XXI.

Qvoad alterum argumentum, per plures satisqve numerosas ex diversis animalibus Lienis extirpationes evidens esse poterit, post harum administrationes Jecur in munere suo, quo nempe bilem producit, sensibiliter fatiscere. In quinque siquidem canibus, qvos nuper demum successivè hujus phænomeni Martyres

con-



constitueram, & ab operatione illa biduum, triduum, octiduum ac brevius denuo aperueram, Bilem intra Folliculum suum crassam, lentam, viroris obscuri, in ductibus epaticis verò modo nullam plane, modo in thrombos congelatam & fere nigricantem, viderunt mecum astantes: In aliis vero tribus subjectis, quibus per vulnus, sub Hypochondrio dextro inflictum, simul vesiculam biliariam compresseram, siccque notabilem fellis portionem expresseram, post Nycthemeron biduum, it. sexto die, folliculum non omnino qvidem bile vacuum, flaccidum tamen ac coloris obscure viridis, Pori autem Epatici propagines partim inanes, partim coagulo biliose infarctas, annotavi, & annotabunt alii quoque, quibus adeo feliciter operari continget, quin ut aliquando fieri solet, sub operatione prima, aut paulo post, expirent ejusmodi pro Scholarum erroribus expiandis immolanda animalia.

XXII.

Qvos interim admonitos volo, ne qui cum Lienis educatione Receptaculum felleum emulgere contendunt, hoc adeo faciles successus sibi persuadeant, quod una vel altera digitorum palpatione omne hujus fluidum elutriari queat: prohibet siquidem hoc structura cervicis illius valvulosa, qua illi digitorum apicum, quibus tantum in profundo operari licet, contrectationi leviori renitur, imprimis in subjectis vivis & cum abdominis musculorum constrictoriis ac viscerum dilatoriis reactionibus; cum vix in cadaveribus & patulo satis ventre, nisi violentiore ac frequentiore compressione, omnem bilem exprimere concedatur, in quo expertos sine dubio mihi adstipulantes promitto.

XXIII.

XXIII.

Cum E. Sangvinem peculiaris texturæ seu indolis, per vas excretorium singularis fabricæ à Liene excipiat Epar, hocque extirpato seu deficiente illo, officio suo non rite, nec sufficienter, præsit, i. e. Bilem coloris ac consistentiæ naturalis haud conficiat, aut in hac producenda forsan plane deficiat: non temere ac sine ratione suspicari licebit indissolubile utriusque hujus organi commercium & finistri Hypochondrii cum dextro Conspirationem seu Duumviratum, i. e. Splenem bilis secretionem maxime moderari, vel ad hanc prædisponere, & quidem mediante sangvine, intra cellulas ejus congesto, seu lienoso communiter dicto.

XXIV.

Ast supposito hoc porro inqvirendum remanet, quidnam differentiæ intercedat sangvineum hunc & reliquum venosum, seu in quo consistat illa ejus habitudo, per quam Functioni Jecoris Bilificatoriæ ministretur? cum denuo diversa aut à Scriptoribus proponantur, aut sponte nobis emergant, cogitata, circa qvæ nihilominus dubitare Philosophi est.

XXV.

Vix interim è re esse videtur, multis argumentis illam qvorundam discutere opinionem, qvafsi à Sangvine illo per Lienis conformatiōem organicam aliquid secernatur, bilis secessui alias moram nectens: Cum ex antecedaneis evidens sit, nullum circa Lienem observari canalem excretorium, qvi intra viscus hoc secretum recrementum, tanquam corpori inutile ac molestum, extra hujus ambirum, vel immediate ac motu continuo, vel mediante alveo ac interpolatis vicibus, eliminet.

C

XXVI.



XXVI.

In specie vero his, qvi in Sangvinem, aquositatē ipsi subtrahendo, Organum hoc agere, siccq; ad bilis tantquam Laticis magis concentrati, formam suscipiendam eum præparare autumant, cum Platone Idem Epatis à levā constitutum credentes, ut, *velut speculo parata promptaq;* semper affixa spongia, id mundum semper ac purum preſet, difficultatem parit, qvod à Liene refluus Sangvis sero minus dilutus haud compareat, nec comparere qyeat, ad cellulas ejus ex Arteriā immediate ac nulla cibratione præviā depositus. Et qvod forsitan aquositatē per Lymphatica illius vasa emulgetur, glandularum, ad quas minorem sangvinis, per arteriam splenicas adducti, portionem ablegari, summa arteriolarum, in glandulas has definentium, exilitas evincit, ita qvidem, ut, injecto per Syringam liqvore, Teste *Malpighio* omni exceptione majore, inter has & glandularum compagm interiorē connexam sensu aſſequi haud liceat, potiore ejus parte immediate magis ad cayernulas splenis latiores defluente. Cui accedit, qvod ipsum Fel nihil, niſi Lymphæ quædam species, sit, intra acinos hepatis glandulosos secreta, adeoq; per porum biliarium, interdum leviter satis tinctum, prodeat: aut, si hoc nimis paradoxum videatur, nonne ipsa Epatis conformatio talis est, per quam non modo Bilis, sed Serum quoque, ſecernitur, si forsitan illius productioni hoc obicem poneret?

XXVII.

Neque tamen ideo mihi per argumenta, magnæ alias penes me Autoritatis, Scriptorum perſuaderem possum, fluidum aliquod ſalimum aut ſubacidum, à glandulis Lienis cibratione quadam separari ſanguini-


gvinique, in "cellulosa ejusdein" compage undulanti,
instillari, qui hunc subigat, & vel refermentando, vel
præcipitando, vel in fluorem conjiciendo prædisponat,
ut solutis vinculis, quibus bilioſæ moleculæ sangvinis
fluori haetenus arctius connectebantur, ejus colatio
per mechanicum Jecoris apparatum promptius perficiatur:
vel qui cum venosi Sangvinis Chylive particulis
ſulphureis, ſibi intra Epar specificē commixtis &
excoctis, maſſam bilis amaricantis ac flavescentis for-
met.

XXVIII.

Dum sc. *primo* concipere nescio acidum qvoddam,
cujuscunqve demum gradus, & ubiqunqve demum,
hinc nec intra Lienis glandulas, seqvestratum, qvod,
sangvini affusum, hunc non tam fermentet, quam in
cruorem & serum aqueum fecedere jubeat: quatenus
cunctorum acidorum, vel naturalium, vel arte Chy-
mica productorum, ejusmodi in sangvinem potentia
observatur. Imo idem à succo hoc Lienari ſubacido
pariter metuendum foret, ſi ſtagma, ex Lienis destilla-
tione productum, sangvini recenterab animali extra-
cto, affusum hunc, observante Nobilissimo Malpighio, in
grumum nigricantem cogat; quod tamen, ut proti-
nus addam, in mixtura hac deprehendere haud potui.
Neque *secundo* glandulas Lienis adeo opportunè colla-
toria hujus succulentia acidulæ pronunciare licet,
quod, ex congregatarum genere, fine dubio vafis, præ-
ter lymphatica ordinaria, excretoriis deſtituantur,
adeoque intra ſe ſecretum laticem non ad visceris hu-
jus interiora ſtillent, ſed ad extra potius amendant.
Multo minus, *tertio*, unquam aliquid illius acoris,
quem Lienis carnem membraniasve ſangvis interfluus

C 2

fapere



sapere communiter traduunt, mea, aut aliorum, quos Exploratores hujus rei à præjudiciis liberiores selegeram, degustare potuit Lingva: nec aqua, qua Lienem bubulum, tunica sua exutum & in frustula concisum, per aliquot dies maceraveram, filtrata ejus tantillum; sed in hoc infuso pariter ac diversorum animalium sic dictis carnibus splenicis, dulcedinem potius, quam inter alios quoque *Barberium, despir. Nitro-aëri operat. in microcosmo* in sangvine Lienari adhuc calente sè libasse referit, senseruntque mihi Parastate.

XXIX.

Netamen Lingvæ sensorio soli in re adeo ardua ac subtili Arbitri partes concrederem, sed acidum, forsitan occultum, magis manifestarem, variis insuper usus sum mechanicis & primo quidem Lienem bubulum recentem Lacti incoquendo, an forsitan hoc inde moleculas condensatrices ac motrices imbiberet: mutabat hoc equidem colorem & saporem naturalem, ast ejus compages integra manebat, nihilque præcipitationis experiebatur. Syrupo violarum cæruleo idem infusum splenicum affudi, visurus hinc aliqualem (quæ acidulorum est) ad purpureum colorem illius mutationem: quam tamen frustra expectavi. Hinc nec per Pyrotechniam exin mihi promittere potui fluores salinos seu destillata acida: cum sal quoque acidum, si quod Lieni subesseret, ignis activitate in falsum seu urinosum commutetur. Nihilominus quo etiam hoc in passu Experienciam potius, quam Rationi, hypothesibus formatis seu formandis non raro plus justo faventi, locum concederem, adiustione vero nullum ab extra empyreuma salinae lienis substantiæ imprimerem, aliquot Cani-

Canino Lienis mitiori & Balnei calori commisi, horumque humiditatem ad siccitatem usque expuli, quae peculiaris, levis tamen, fracedinis, syrapi illius violacei Tincturam haud sensibiliter immutabat.

O.L.

XXX.

Idem cum Liqvore, ex Lienis bubuli maceratione emergente & filtrato, simili caloris gradu & ratione tentavi, & humiditas inde exurgens, leviter empyreumatica & ejusdem cum canini Lienis destillato fracedinis, cæruleitatem illius intactam relinquebat. Cum vero reliquum infusi ex arena, blandiore igne, destillarem, ita tamen, ut prius destillatum à posteriore seorsim exciperem, i. e. certus redderer non ab adustione (ad minimum in priore) ejus falso sedinem futuram: nec unus, nec alter, horum liqvorum, ambo odoris urinosi, in syrupum illum acidi potentiam exerebat, i. e. ipsi rubedinem imprimebat, sed instar aliorum urinorum, hinc ex animalium carne & sanguine quovis etiam destillati, viorem potius conciliabat, prior sc. tardius, posterior celerius. Utrumque hoc destillatum spleneticum solutioni Mercurii sublimati adspersi, quæ perinde ac alia alcalia volatilia, hanc mox in crassamentum lacteum congelabant, & in pulverem nivei coloris præcipitabant. Laeti affusa leviter hoc turbabant, & sensim in coagulum supernatans atque serum divellebant; quod salia urinosa perinde præstant, potenter tamen & celerius, utpote magis concentrata: haud itaque salis subacidi inexistentiam hæc concludere jubent. Tandem destillati remanentiam ultimam, postquam eam pro salis (ast frustra) extractione cum aqua maceraveram, calcinatam elui, ac tantillum hinc eduxi salis haud alcalici, multo minus acidi, sed falsi & marini æmuli, quod

C 3

Solu-



Solutionem Sublimati minime præcipitabat, viroꝝ ta-
men alii vali imbuebat, Syrupum violarum.

XXXI.

Ex his similibusqve phænomenis facile eqvidem,
qvalis futura sit salini hujus produeti, in sangvinem acti-
vitas, i. e. minimè, qvalem alii asseverant, fermentati-
va, suspicari potuisse: nolui tamen nec huic soli con-
jecturæ inhærente, adeoqve sangvini quoqve, fluido æqve
ac congelato, illud instillavi, qvorum nec unius nec alter
plus effervescebat, qvam si spiritu salis Armoniaci aut
Cornu Cervi irrorentur; nigrescebat tamen à salino sple-
nico sangvis, à reliqvis autem urinosis ejus rubedo magis
splendescebat.

XXXII.

Imo ne aliquod eorum, unde acidisplenici præsen-
tiam ac potentiam conjecturari liceret, intentatum negli-
gerem, tandem Decocti & Extracti splenis bovis examen
aggressus, sciscitaturus, an, qvas vires deoppilativas ac
menses moventes in eo deprædicant vulgo, à textura
salina seu vitriolica, haberet: qvalem sane in Decocto,
cum aqua parato, libando deprehendere non potui, sin-
gularem vero & summam amaritudinem, in extracto cum
Spiritu vini facto, cui forsas potiori jure, qvem admo-
dum aliis splanchnicis amaris, vim illam medicamento-
sam, si qva est, adscriberem. In cujus amaroris aetiolo-
giā nunc minimè disqviram, qvi similem in remanen-
tia infusi splenici, de qvo dictum, post omnimodam hu-
miditatis ex arena evocationem, hujusqve nova cum a-
qua solutione animadverti, aduisionis sine dubio pro-
ductum.

XXXIII.

XXXIII.

Cum itaque ex his satis superque elucescat, minimè
intra Lienis cavernosum corpus elaborari Fermentum,
aut succum acidulum, qvi vel fermentatione, vel fusione,
vel præcipitatione sangvinem ad promptiorem Bilis di-
missionem disponat, seu vincula, qvibus moleculæ bilio-
sæ reliqvis Cruoris partibus firmius annexæ, laxet vel
rumpat, aut qvi cum substantia sangvinis Portæ sulphu-
rea Fel constitutæ, adeoqve Lienis in sangvinem suum
actionem haud fermentativam esse: per structuram po-
tius suam organicam seu necessitatem mechanicam Ille
immediate magis præstare videtur hoc, qvicqvad Jecoris
muneri ac Fellis productioni juvandæ confert. Qvale
qvidem hoc sit ministerium, ambigere, qvam determina-
nare, mallem, nisi sagacioribus ingenii exponere cogi-
tata etiam minus exulta ipsum juberet desiderium, quo
qveilibet, qvi Studia sua Philosophiaæ Naturali & Arti
Curatrici serio mancipavit, flagrare observamus, ac per
qvod melior edoceri ambit Mens ingenua, nec vanæ
gloria, sed veritatis indagini, nata.

XXXIV.

Ante omnia proin recolligendum moneo, duplicum
substantiarum heterogenearum nexum in sangvine nota-
ri, unum laxiorem & qvi ad levioris tantum contactus ra-
tionem se habet, qualis est cruoris & liqvarinis albuginei,
alterum strictiorem, & per qvem mutua magis & arctio-
re implicationevinciuntur seu colligantur illæ, qualis sine
dubio est particularum biliosarū cum reliquo vel cruoris,
vel seri, fluore. Qvemadmodum enim illortum superficia-
lem tantum mixtionem seu cohæsionem hoc evincit,
qvod perinde, ac Lac in fluidum glutinosum, pingue
seu



seu caseosum & aqueum seu serosum, ex quibus componitur, facile secedit, serum quoque gelatinosum, à Cruore sponte & sola quiete separatur, aut levi artificio eorum divertium maturari queat: sic bilis contra, in statu naturali, nullo unquam spontaneo motu seu tendentia à sanguine extravasato recedere cernitur, sed diu satis asservatus hic nihil ejusmodi heterogeneitatis, vel subsidentis vel supernatantis, monstrat.

XXXV.

Eundem arctiore complexum palam facit saporis illius amarantis adeo exacta occultatio, ut in Sanguine Portae ne vestigium quidem illius Lingua sentiat, ut alias in Liquoribus, quibus guttula una vel altera Bilis adspersa, fieri solet: quatenus partes ejus aculeatae glutinosis sanguinis ita implicantur & ab his obtunduntur, ut pariter, ac acetum concretis terreis, similibusque v. g. corallis, oculis cancerorum, plumbo &c. connubens, dulcescant. Imo Fel in Ictero, quamvis p. n à sanguine secretum, aut per vasa biliaria ad hujus canalem regurgitans, quia sero adhuc incoetum videtur, per habitudinem sui sanguinisque mutuam, atque tendentiis vitalibus reciprocis, hoc eo usque amplectitur, ut vix nisi in majoribus forsan diluviis Arqvatis, illius amarorem in sanguine, Venæ sectione educto, distinguere concedatur.

XXXVI.

Cujus strictioris cohaesione & quasi conferruminationis intuitu contingere suspicor, quod Natura Sanginem Arteriosum & immediata seu velociore cordis vibratione appulsum, hinc rapidiorem ejus per Epatis glandulas trajectionem, Secretioni Bilis haud congruam judicavit, utpote quali coacta seu festinata cibratione nec la-

xius

D.L.

xius mista semper dirimuntur: qvod diversis operati-
onibus mechanicis, in vulgus etiam notis, compro-
bari posset, Medicis nihilominus sufficiet illa duplex
Decocta & Infusa colandi ratio, modò sine, modo cum
expressione, hacve denuo nunc blandiore, nunc va-
lidiore, adornanda. Qvorum sane illa, qvæ sine ex-
pressione colantur, plus crassamenti heterogenei po-
ne se relinqunt, qvam qvæ compressa simul Manica
Hippocratis similive Colo & impetuosis per hujus
meatulos urgentur. Per conseqvens peculiarem hic
sibi Natura finxit Venæ Portæ conformatiōnem, qvæ
quidem trunco suo per ramulos capillares, instar cæ-
terarum venarum, Cruorem, cujus impetus notabi-
liter jamdum retulit, recipit, eum tamen, denuo per
novam & exqvisitissimam porro ramificationem, aci-
nis Jecoris colatoriis infundit, & per horum poros
placido conamine urget.

XXXVII.

An felleum hoc seqvestrandum Sangvinis, an
Chyli crudioris, recrementum seu pars sit, inpræsen-
tiarum haud ventilabo, exponam nihilominus dubi-
tandi de J. A. Borelli dogmate, qvo ex intestinis Bilem,
modo per Ductum cholodochum Chylo ac Fecibus
affusum, venarum Mesaraicarum oscula, tanquam to-
tidem hirudines, exugere, & ad Hepar denuo evehe-
re afferit, argumentum. Sc. vel ideo Circulum hunc
Bilis suspectum esse, qvod nec intra intestinorum tu-
bulum, nec tunicas, fangi queat colatorium, qvod ab Af-
fusum Chylove ac Scybalis biliosum illud secernat; nec
in extremitatibus dictarum Venarum ejusmodi su-
cix concipienda erit Organisatio; dum multæ ejus-
dem

D



dem Venæ Portæ propagines ex ventriculo, Omento & Pancreate exurgunt, à qvarum conformatione Mefaraicæ haud recedunt, vel has recedere vix probabitur; ut taceam, nihil amaritie similisve biliosi phænomeni in sangvine mesenterico degustari, ubi nihilo minus confusanea & laxa satis foret utriusque mixtio.

XXXVIII.

Ast, qvia per motus sanguinis, à corde impressi infractionem, qvam sub traduictione ex arteriis ad venas ille patiebatur, fluor ejus, transcolationi ejusmodi secretoriæ necessarius, notabiliter infringebatur, i. e. illa sine grumescentia aliquali fieri non poterat: Eadem dissolvendo, fundendo & qvasi refermentando Lien conspirat, sanguinem arteriosum, qvem intra proprios alveolos congesferat, & cujus imperium primum extravasatione qvasi fregerat, illi intra portæ truncum affundendo, quo hujus fluor atqve elasticitas arteriosa illius subsidentiam ac congrumescentiam aliquantum corrigat, & in novos motus eum concitando ejus particulas biliosas ad promptiorem secessum disponat.

XXXIX.

Sc. Materiam Bili cum fine dubio, præ Arteria Hepatica, Vena Portæ adducat, hæcque duplex sanguinis genus vehat, eqvidem splenicum sanguinem solum, utpote texturæ singularis, huic negotio adæquatum suspicari quis posset: Verum qvia (1) Natura hunc non per canalem peculiarem Epatis acinos subire voluit, sed commixtum demum intra Portam Mefente-

2. L.

fenterico, (2) totum hoc Portæ fluidum mediante de-
mū colatorio illo ad Cavarū urget (3) sine Liene qvoq;
seu hoc extirpato Biliis producitur; nec, qvi à Mefente-
rio, Ventriculo, Omento &c. refluit, sangvis omnimo-
de excludi debet. Sed probabiliter infertur, Splenicum
formaliter æque ac materialiter, reliquum autem Por-
tarum cruentum materialiter tantum, se gerere: &
qvidem illum non ratione texturæ alteratum, exalta-
tum s. fermentativum magis redditum, sed mere ar-
teriosum, cujus tamen motus localis eo usq; in-
fractus, ut venoso immediate commisera valeat. Non
poterat siq; videm commode hoc fieri per Arteriam, si-
ve in Portam, sive Epatis substantiam, hiantem: cum
a tali i nosculationis genere abhorreat natura, qvo mo-
tum sanguinis, venosi pariter ac arteriosi, integrum
minusq; turbatum præstet; sangvis vero ab arteria
pulsante Epati, sine commiscela illa intrusus, citius
forsan, per potentiorem impetum epar elabatur, hu-
jusq; meatus traxiciat, anteq; vam venosus, cujus gra-
tia appellebat, eum attingat.

XL

Proin hæc ejus transfusio sine pulsū fit, ut expe-
rimur, si Animalis vivi vel ipse met Lien, vel ejus Ve-
na, incidatur, utpote ē qvorum Vulneribus, ut supe-
rius annotatum, Sangvis mineæ ac splendentis rube-
dinis ac fluidissimus, i. e. arteriosus, sine micatione
tamen seu saltu, promanat: juvatur nihilominus à fi-
bris atq; pelliculis, visceris hujus alveolos undique
circumscribentibus ac perreptantibus & tunicæ ejus
propriae continuis. Hoc involucrum, pluribus Pro-

Dux cunctis lumen studio secto-



sectoribus hactenus membraneum visum , revera
musculosim i.e. ex fibris motricibus contextum esse,
oculis ac mente *perspicacissimus Malpighius*, in Episto-
la ante viginti jamdum , & qvod excurrit, annos ad
Virum qvendam Angliae Eruditum , edifferit, ita ut
extra transversalibus seu internis Lienis fibris singularis
congeratur Musculus, non absimilis structuræ & usus,
qvalis in auriculis cordis qvorundam animalium ob-
servatur , cujus ambitus fibrarumque intrinsecarum
implications rete efformant, cellulas subiectas undi-
que comprimens & sanguinem splenicum per vas sibi
excretorium propellens.

XLI.

Atqve hanc hypothesin de Usu Lienis & Hy-
pochondrii utriusqve Duumviratu, qvamvis , ut
probabilem tantum, venditem, non parum tam
confirmare comprobareqve videntur phænomena
male constituti hujus visceris, seu pathemata hypo-
chondriaca communiter credita , qvæ sane per il-
lam solam & sine fermenti splenici corruptionibus
& fœculentiarum splenicularum congestionibus, ex-
plicari valent. Potissimum & freqventius horum
vitiorum annotatur Lienis Intumescentia, modo
scirrhosa, modo anomala magis, qvarum illam ex
lympba intra glandulas ejus congesta & congelata,
hanc ex sanguinis instillati retentione & grume-
scentia concipere convenit. Cui posteriori tamen
non ejusdem fluidi terrestreitas, crassities, fœculen-
tia seu tartarus, sed utplurimum forsan ipsius orga-
ni cellularum parietum & involucri laxitas seu to-
nus vitiatus, qvod visceris imbecillitatem vulgo
vocant,

vocant, occasione existit, sanguinis congestionem
uberiorem admittens, nihilve hujus exturbans.

XLII.

Porro, dum Fellis productioni idem Organum
ministrare dictum, in promptu erit ætiologia crudel-
atum primarum viarum, hincqve emergentium
ventriculi & intestinorum inflationum, ructuum,
borborygmorum, qyo nomine *Diocles*. Affectio fla-
tuosa Malum Hypochondriacum audit, alvi mo-
do astrictæ, modo dejectionum Lientericarum,
biliosarum, æruginosarum & porracearum, seu
Melancholicorum recrementorum, Hypochon-
driacis familiarium. Qvatenus deficiente bile
digestio prima non tantum intestinalis fatiscit,
sed mox in consensum rapitur ipsemet ventricu-
lus, hinc totidem illius eveniunt symptomata:
in specie vero alvum tardiorem aut idem bilis
defectus, aut ejus visciditas, reddit, Liene in mune-
re suo torpidoire se præstante; in fluores vero, im-
primis biliosos atqve porraceos, concitat Idem in-
ordinatis atqve impetuosisoribus cellularum sua-
rum contractionibus, hinc rapidioribus sanguinis
sui ad Epar trajectionibus, vasa biliaria in laticis sui
nimias ad intestina profusiones, hæcqve ad crebrio-
res excretiones, stimulans. Imo denique quod
affectus animi vehementiores, Tristitia imprimis &
Ira, vel soli interdum, diversa Lienis vitia patrent,
vel latentia moveant & symptomata variij generis
erumpere faciant, profecto haud ideo contingit,
quasi viscus hoc atræ bilis focus & juxta *Sennertum*
Iræ fomes existat: Sed quia hæc similia ve animi pa-

D 3

thema-

o. 1.

CD
S.

ZVHALLE

themata spirituum animalium motūs per totum genus nervosum sensibiliter maxime turbant, Lienis fibrarum motricum systoles modò inhibitent, ac tardiores & imbecilliores reddunt, modo intendunt atqve accelerant, seu inordinatos præstant, utraque ratione Viscus hoc immediatè afficientes & modò has, modò illas aberrationes concitantes.

F I N I S.



X2615920

107

B.I.G.

Farbkarte #13



D. B. V.
o PHYSIOLOGICA
De
VIRATU
OCHON-
ORUM, 1689, 4/
Qvam
Præsidio
NNIS BOHNIL
edic. D. ac Anatomiae &
of. Publ. longe Cele-
berrimi,
ræceptoris ac Hospitis
colendi,
orum examini exponit
Gottlieb Lehmann,
liss. Lusat.
M. DC. LXXXIX.

IPSIAE,
NCKMANNIANO.

